Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 661
Quelle:
Copyright:

CCCXVI.

R. 3038 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 59. f. charactere luculento bene perſcriptus, coloribus diſtinctus, et olim *monaſterij ſancte dorothee in wienna* ſequentia ad Ejus inſtitutum facientia complectitur: I. *Incipit prologus in Regulam beati auguſtini Epiſcopi.* Regula illa eſt, quae titulo *ad Servos Dei* habetur T. I. *Opp.* Edit. *Maur. col.* 789. et incipit: *Hec ſunt que precipimus* &c. Prologum vero, cujus initium: *Canonice profeſſionis diſciplina ſicut chriſtiane religionis obſeruancias antiquitate, ita et dignitate precellit* &c. nullibi me legere memini.

II. *fol.* 8. Sequuntur VI. Capita huc facientia, quorum *primum* ſine titulo incipit: *Multa ſane differencia eſt inter renunciantes ſeculo* &c. agitque de perfecta rerum temporalium abdicatione. *Secundum* inſcribitur: *Quis modus correptionis ſit*, et legitur in *Regula Canonicor. in Conc. Aquisgran.* a. 816. edita apud *Aub. Miraeum Antverp.* 1638. f. *Formae Inſtitutionis Canonic. Cap.* 134. p. 76. *Tertium* titulo: *Epilogus breuiter digeſtus*, ibidem *Cap.* 145. ſeu *ult.* p. 81. conſtituit. *Quartum Prefatiuncula in vitam clericorum* inſcriptum pariter ibi *Cap.* 113. p. 65. terminat. *Quintum* absque titulo incipit: *Quia regularis ordinis noſtri obſeruancia in omnibus pene eccleſijs ex magna parte uenit in diſſuetudinem et nos per apoſtolicum mandatum in lateranenſi concilio editum ad ordinis reformacionem cogimur* &c. *Sextum* inſcriptum *De Diffinicione ſecundi capituli* infit: *Secundum conſtitucionem in lateranenſi concilio editam ad ordinis reformationem diligenter intendentes precipimus, vt regula beati auguſtini firmiter et vniuerſaliter obſeruetur cum diffinicionibus preteriti capituli in ſequenti capitulo approbatis.* &c. *Lateranenſe* Concilium IV. intelligo celebratum a. 1215. in quo praecipue *Capitulo* 12. varia de Regularium reformatione conſtituuntur, nominatimque edicitur: *Hoc ipſum regulares Canonicos ſecundum ordinem ſuum volumus et praecipimus obſervare.* At, ubi Theca anterior Codicis praeſentis indicat, quae in eo contineantur, poſt *Regulam beati Auguſtini* ait: *Item ſtatuta ſalczburgenſium de obſeruantia regularum canonicorum regularium.* Quando igitur *Eberhardus* II. ad *Lateranenſes* Conſtitutiones effectui dandas altero mox anno, nempe 1216. Concilium Provinciale *Salisburgi* celebravit, admodum probabile eſt, *Capita* noſtra *Quintum* et *Sextum* ſupra adlatum ex eo Concilio manaſſe, atque inde aliquam acceſſionem fieri ad ejus Acta, quae *Flor. Dalbamus* in *Concill. Salisb. Auguſtae Vindel.* 1788. f. editis p. 96. paene in deperditis habuit. Ea porro in *Dorotheano* Codice reperiri, non mirum, cum Collegia Canonicorum regul. per utramque *Auſtriam* ſub Metropoli *Salisburg.* fuerint.

III. *fol.* 17. p. 2. *Incipiunt capitula in expoſicione hugonis* (a S. Victo-